

ipsi.<sup>71</sup> Simile etiam de cera non reuicimus, sicut in sole per liquefactionem cera cerae affluit et agglutinatur, ita in vera conuersione Filius Dei calefacit et mutat corda piorum, eos sibi vnit, vt deinde eadem fiant in sua massa et credentium citra tamen commixtionem substantiarum. Neque enim simile  
 5 per omnia est simile. Et Cyrilli consilium fuit, monstrare perpetuam actionem in opere saluationis etiam naturae humanae in Christo, quam tanquam nullius vsus euanuisse volebat Eutyches, non vero apotheosin aliquam physicam stabilire.<sup>72</sup> Sed inferius, vbi de corpore illo spirituali recentiorum differemus, etiam haec fient clariora. Nam si nullum est corpus vere spirituale,  
 10 hoc est spoliatum omnibus conditionibus corporis, frustra de transfusione illius pugnatur. Ex hac expositione manifestum est, quae sit natura sacramentorum. Non opus est rixari de vocabulo. Constat ecclesiam veterem vsam hoc nomine, vt significaret illas externas ceremonias esse signa foederis, quod initur cum Deo et mutuo inter pios, perinde sicut milites publico iuramento  
 15 promittunt fidelitatem imperatori et mutuam consensionem. Ratio formalis sacramentorum est, quod sunt σφραγίδες iustitiae fidei, hoc est ceremoniae vel actiones institutae in euangelio, quae testificantur promissionem pertinere ad singulos, et vt sint signa distinguuntia ecclesiam ab aliis coetibus et nerui publicae congregationis.<sup>73</sup> Elementa sunt distincta, vt supra dictum est,  
 20 quia diuersorum bonorum fit testificatio vel obsignatio. Baptismus est laucrum regenerationis, hoc est testimonium, eum qui ita mergitur fide ablui a sordibus huius inquinatae naturae et inseri coetui Christi. Coena significat renati nutritionem et κοινωσίαν sumentis et Christi, qui pios pascit vera agnitione Dei, vera vita et laetitia in ipso.  
 25 Quae sunt sacramenta possint recte dici miracula. Respondeo sicut Paulus inquit: „Placuit Deo [22:] per stultitiam praedicationis saluos facere credentes.“<sup>74</sup> Ita certum est hanc esse Christi ordinationem, quod per ista sacra symbola vult esse efficax in credentibus et hoc modo vsque ad inchoationem noui regni aeternam sibi colligere ecclesiam. Etsi igitur non dicimus,  
 30 ordine physico fieri, quod homo baptizatus a Deo in gratiam recipitur aut quod Christus suum corpus et sanguinem piis communicat, tamen non recte dicimus accidere haec miraculose, sed ex ordinatione Christi, qui per ministerium est efficax. Habent igitur sacramenta rationem operis ordinarij, et miracula edita a Christo et apostolis sunt testimonia addita ministerio. Ita  
 35 tenendum est discrimen inter ministerium et miracula neque sacramentis vlla praerogatiua miraculosa vt loquuntur affingi debet. Satis etiam concinne ab

<sup>71</sup> I Joh 3,2.

<sup>72</sup> Vgl. Cyrill von Alexandrien, Scholia de incarnatione unigeniti XXXIV, in: PG 75, 1405–1408 (ACO 1, 5, 1, 225,11–21. 228,37–230,16).

<sup>73</sup> Zur Unterscheidungsfunktion der Sakramente vgl. Philipp Melancthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 847 (MWA 2/2, 497,12–17). Zur Deutung der Sakramente als Siegel der Verheißungen vgl. CR 21, 861f (MWA 2/2, 519,31–34).

<sup>74</sup> I Kor 1,21.